...laus

Bieżanowski Stanisław Jos: Sepulchralis memoria
D. M. Stanislai Jurkowski

SEPVLCHRALIS
MEMORIA

Perillustris olim & Admodum Reuerendi Domini,

D. M. STANISLAI IVRKOWSKI,

S. Th. Doctoris & Professoris, Protonotarij Apostolici, Ecclesiæ S. FLORIANI Præpositi, Opatouiensis, & S. Georgij in Arce Cracouien: Custodis, &c.

Almæ Vniuersitatis Cracouiensis Procancellarij dignissimi,

dum.

Magno omnium dolore, posthumoque obsequio, ad Ædes S. FLORIANI,

Iusta ei Funebria,

persoluerentur;

A

M. STANISLAO IOSEPHO BIEŻANOWSKI, Leopol: Philosophiæ Doctore, Collega Minore, Ordinario Pòéseos Professore, victuræ perennitati

CONSECRATA.

Anno Æra Christianæ 1669. Die 13. *Junij.*

CRACOVIÆ,

Apud Hæredes CHRISTOPHORI SCHEDEL, *S. R. M. Typ:*

Perillustri Magnifico & Admodum Reuerendo Domino,

D. M. ANDREÆ KVCHARSKI,

S. Th. Doctori & Professori, Ecclesiæ Cathedralis Crac: Canonico, Collegiatæ SS. Omnium Præposito, &c. Almæ Vniuersitatis Cracouiensis RECTORI VIGILANTISSIMO.

Jllustri & Admodum Reuerendo Domino,

D. M. ANDREÆ GRABIANOWSKI,

I. V. Doctori & Professori, Ecclesiæ Collegiatæ SS. Omnium Scholastico, &c. &c.

Clarissimo & Admodum Reuerendo Domino,

D. M. NICOLAO ZALASOWSKI,

I. V. Professori, SS: Omnium Canonico.

Vltimæ voluntatis piè defuncti, Executoribus,

D. D. & Patronis fauentissimis.

Author S. & P.

QVam in pectoribus Vestris, altiùs defixam habetis; iuris quoq; publici à me factam, Sepulchralem magni Viri memoriam, Amplissimis Nominibus Vestris consigno. Dispendium hoc, æstimatione suâ maius, quod patimur; non aliter vtcunq; rependi potuit; quam literatis à morte vindicijs, eius Viri; ex cuius inter literatos iactura, dolori dicendo; etiam disertissimis, silentium pro eloquentia est. Mihi certè, nisi authoritas Vestra, Vitale aliquid cogitanti addidisset; frigidius sepulchrali marmore pectus, ad tanti viri occasum obriguisset. Primum quippè & primarium, ex Vniuersitate, Nostra Virum amittere; & posse aliquid loqui; dolentis non est: cum dispendia sua non capiat; qui de ijs, non plus concipit, quam loquitur. Si quid ergo in tanto dolore tentaui; qui dolentium ritus est; inter singultus; & abrupta suspiria; non tam exprimo, quam insinuo. Parcet proinde summum iudicium Vestrum; si alicubi magnitudini doloris exprimendæ peperci; ne viscera amantium, qualia Vestra sunt, dilacerarem. Mentiò quippè omnis, tanti, & tam bono togatorum publico, profuturi nominis; non oculi tantum lachryma; sed cordis quoq; Vestri amarissimum torcular est; qui intimiùs cum eo versati; iubar illud mentis decusq; propiùs inspexistis. Cum itaque in sinu Vestro, eum, quem dilexistis & obseruastis, depono; animatum illi mausoleum, inuenisse me gaudeo; inter communes lacrymas, hoc vnum ad publica solatia transferens; quod confidam, eum in Vestra, & tot aliorum in Vniuersitate Nostra, excellentium Virorum, summa virtute, sapientia, authoritate, perenniter victurum.

S E-

SEPVLCHRALIS
MEMORIA
Summis viris,

Cenſus omnis gloriæ, cum ſponte ad marmora veniat;
Praxiteles non fatigat.
Felix illa terræ portio;
quæ in eiuſmodi lapides concreuit; vt à morte, quæ vitam dilapidat,
Immortalia nomina vindicet.
nunquam tamen feliciùs cæditur;
quam cum, in eam poſthumo opere, cælaturam venit;
quæ præſtantibus in re literaria viris, in elogia cedit.
nulla quippè metalla, pretium ſui maius augent;
quam quæ ſapientum virorum gloriam, pretioſum orbis depoſitum ſeruant.
Prodirent certè, catenaſque naturæ rumperent,
Deucalionis feliciora Saxis;
niſi ad opera huiuſmodi tollerentur;
inquibus, lux animi eruditi, inter frigidiſsima marmorum;
pluſquam Promethei, inter Saxeos mortalium fœtus, virgula candet.
Cœlata Iſocratis Siren,
nunquam dulciùs quam inſepulchro tanti viri, muta cecinit;
Cum metallo ſuo exultans;
quod rudis ante gleba, in orbis delicium famamq;
cum eloquentiæ delicio veniſſet.
Hinc,
Superba Romæ ſeptizonia, moleſq;,
cum minantia nubibus, pinnacula porrexiſſent;
hoc ſolo infeliciùs ſurrexere;
quod Parios lapides, cruſtataq; opera,
ad inſipidum, ſterilis pompæ, damnaſſent miniſterium;

quæ nunquam sæculum, sapientius fecit.

Fortunatiùs Illud,

Quidquid in rudem olim Ennij statuam venit;

quæ tumulos Scipionum supergressa,

intulit æternitati, nobilem argumento, non arte sculpturam;

quæ magni animi habitaculum expresserat.

Huc ergo

Quicquid alieno sole coquitur, orbisq; pretia fatigat;

non brachio steropis agimus, sed iturum sequimur sponte.

Vna Thebas olim, condere poterat testudo;

cum reptantia ad opus, naturam præcurrissent saxa.

Validior hîc impetus;

Vbi duo validissima in orbe, virtus & sapientia,

naturam non inuitant, sed vrgent;

vt cum, ad æternam sapientis gloriæ molem, lege perenni immota veniunt;

etiam de legibus suis remittat.

Magna quippe, naturæ ipsius gloria est;

cum se habere, quomodo dispendia sua penset, intelligit;

gaudens vtique, inter sepulchralia rudera, lares illos non dissolui;

in quibus aliquando sapiens animus habitauit.

Ad hæc naturæ Solatia descendimus;

Sed eheu solatio procul?

cùm

Perillustri olim Viro,

M. STANISLAO IVRKOWSKI,

S. Th. Doctori & Professori,

Vniuersitatis nostræ Procancellario, &c.

Sepulchralem memoriam, magni nominis vindicem

ponimus.

Operum hoc genus, vt ex merito illi assurgat;

ipsa, quæ in eo assurrexerant, Virilis sapientiæ decora meruêre;

inquibus ad Senium, non irrupit, sed processit.

turpe illud vbiq;; sed in regno sapientiæ turpissimum;

cum Daui Capite, habere Calipedis pedes;

qui quod sinè mente, perniciùs ferantur, quid miraris?

procul

procul à cerebro distant.
Pernicissima animantium, simul timidissima.
cordata, vbi, sensim processerint, subsistunt;
generosóq; intuitu morantur;
ad experimentum sui vbique parata.
Hoc secreto, sapientia, gradus sibi, non compendia fecit;
vt adire eam, non nisi per vestigia liceat;
ne aut cochleæ hîc frustra laborent; aut aeripedes insolentius præcurrant.
Tritum hunc maioribus nostris,
per impressa vestigia callem, post gradus laureatos, fortiter premens;
PROCANCELLARIVS noster;
Poznaniæ primùm, in Lubransciano Collegio,
Eloquentiæ Professor;
ad illustre nomen, constanti professionis lustro contendit.
Masculum ei, vt animi, ita & eloquentiæ robur;
in quo sapere voluit; dicereque pariter, & cogitare cum Catone;
vt par magnis Principum mentibus, per Europæas gentes dirigendis;
efficaciter persuaderet, quod sapienter conceperat.
Ita
Germania, Belgium, Gallia, Italia,
& quæcunque in orbe Christiano oræ cultissimæ,
cum in eleganti ingenio, parata omnia inuenissent;
diutius retinuêre, dum aliquid exquisitius formant.
Summa proinde ingenia, quæ hîc intimiùs adijt;
spectanda patriæ, in animi exhibuit vultu;
tam viuis lineamentis; quam si ea, Protogenis duxisset manus;
si aliquid in animorum effigie posset.
Effulsêre in eo,
Louanienses, Parisinæ, Romanaq; musæ;
imo & felices Genij;
cum eloquentissimo Viro, scriptoriq; Clarissimo,
IOANNI CINERSCIO,
In Cathedra Tyliciana succedens Orator,
Proferret in rostris, sapientis eloquentiæ, Virilem spiritum;
quem ex tot ingenijs hauserat.

B *Scri-*

Scribentis erudito calamo, par argumentum,
D. CECILIÆ RENATÆ,
Poloniarum Reginæ,
posthuma laus;
in cuius augusto mausoleo, nõ minori maiestate perfunctũ;
transtulit ad augustiora, supremæ Facultatis subsellia,
Sapientia Theologica.
Sacrum hoc negotium, quam illi ad mentem, gustumq́;
ex mente, gustuq; publico constat.
Impleuit profectò cathedræ decus, pari gloria;
nec tam annosos fecit circuitus, quàm proffectus;
dignus, qui viuaci ingenio, senilem animum perpetuò iungens;
magnorum Academiæ Patrum, Venerabili senio succederet.
excepit eum hæc prærogatiua,
inter S. Th. Doctores honorificè cooptatum;
vt ad conseruandas Vniuersitatis prærogatiuas, quo celsius iuerat,
tanto excelsiorem animum circumferret.
Mirum sanè, quòd magnis Viris, indignari fortuna audeat;
cum ijs ardua obicijt.
Nihil illâ tum stolidius; cùm gloriæ pedisequa seruit;
cui præiuisse honorata poterat.
Sed hæc experimenta, ad imbellium sortem non pertinent;
quibus animus semper friget, spectraq́; sua multiplicat;
cùm in Paridem inciderit, Hectora putans.
Magnanimi cordis pabulum est, quod seriò riget;
Nec tam cedit, quam vincitur:
in quo
Pectoris infracti Virum, vt faceret rigida virtus;
per prærupta abijt.
Vidit in orbis facie, curas eius Roma;
prudentiam, magnitudinem, dexteritatem animi, constantiam,
& quicquid cum summo iudicio, promptum vbiq; consilijs, cautumq́;,
in rei literariæ Vindice suspexit.
Negotium hoc, multarum sanè ætatum fuerat;
quod

quod magnæ vtique virtutis priuilegio constitit; cum priuilegiorum naufragia in tuto posuit.

Sic infatigabiles fieri oportet;

quorum excubijs, dulces aliorũ somni, placidaq́; requies constat.

Si manus illa, operosissimo conflictu firmari debuit;

qua sub Rectoralium sceptrorum, magnificentia, non nutaret,

Vniuersitatis sæpiùs RECTOR.

In hoc exercitatissimi animi sinu, ceu in cẽtro suo quieuêre,

difficillima omnium, animorum imperia;

cùm expeditum, in hac curarum serie, Virum,

concepta simul & absoluta, probauere negotia:

mente quidem, tam semper, magnis cogitationibus perficiendis aptâ, ceu consilia ex re non fierent, sed nascerentur.

Summi iudicij dotem secuta, par vbiq; auctoritas;

gratulariq́; sibi functiones publicæ visæ;

quod pectus inuenissent, in quo magnificentiam suam explicarent.

Sceptris ergo,

vt coronæ quoq; accederent laureatæ;

non aliud ijs, ex maiestate literarum honorificentius;

quam in hoc Viro depositum,

Illustrissimi & Reuerendissimi Domini,

De

ANDREÆ TRZEBICKI,

Episcopi Cracouiensis, Ducis Seueriæ,

Almæ Vniuersitatis Nostræ CANCELLARII,

longè dignissimi,

tersissimæ aciès mentis aduertit.

Ex sententia id sapientissimi præsulis, simul & ex voto;

qui, cùm, totus ipse anim9, in animorum iudicijs lynceus sit;

vices suas in eum contulit;

inquo Sapiens animus, alternas inter vmbram lucemq;, nescijt vices.

Prouentus inde, Coronarum Doctoraliũ frequens.

Cùm honoratis capitibus, summam ipse cederet in Coronam,

Procancellarius Academiæ,
Vir planè ex merito ſummus;
ex quo prudentia amuſſim, niſi duxeris; etiam ad Cenſorinos fruſtra reſpicies.
admentem compoſitam, ordinati affectus,
interiora animi pacatiùs incoluère;
& cum ardua negotiorum, ſæpius ad inuicem colluctarentur;
nunquam in ijs animum ſenſit obluctantem.
Sic in placido, collectum illi ſemper præſenſq́; pectoris ſecretum;
etiam cùm in verba prodiret;
Valido ſenſu, intelligentiæ vim conſignabat.
inde ad ſeria perpetuo attentus; in ancipitibus cautus;
Vigil vbiq́;, & ſecutura acri iudicio præuolans;
curas, ne in turbido venientes, tumultuariæ exirent;
Ita ſemper excepit;
ceu ante ordinaſſet, quàm irruiſſent.
Regimen hoc animi, ſeruatum in vita conſtanter;
ius ſuum, faſceſq́;, etiam in extremis non remiſit.
Pietas, integritas, rectitudo conſcientiæ,
à vitioſo impetu, procul;
in mortis quoq; impetu, ordines ſuos ſeruauêre.
Expectauit vt Vir ſapiens, momentum illud;
quod humanæ ſapientiæ parenthesim claudit:
rediturus eò non illibenter; quò bonas ſæpius cogitationes præmiſerat.
Curam animæ, in hoc agone præcipuam;
ad ſudorem vſq; cordis, cùm in lachrymas ſoluitur, ſeruauit tam anxiè;
quàm non anxiè mortem excepit.
rorantibus oculis, ad Solem iuſtitiæ, ſæpius conuerſus;
ex hoc, circa diluculum æternitatis rore;
bonum melioris vitæ diem, auſpicari poterat;
atq́; id tantò ſecuriùs;
cùm ex oceano gratiæ, ſidus quoq́; matutinum procedens;
crebris ſuſpirijs vocata, Magna Dei Mater affulſiſſet;
Cuius miſericordiæ, ſuper arenas maris numerum;
magno deuotionis cultu obſeruauerat, Carmelitici maris
in

in Arenis.

Hic ille, vt in librum vitæ transiret;
instructissimæ bibliothecæ monumento, supremis tabulis donato;
Supplicem diuinitati, per Admirandam Virginem optulit libellum;
diploma salutis, haud dubie consignandũ per eam sperans;
quam Devs, vt signaculum, super cor suum posuit.
Excepit eum tandem, 5. Iunij, communis mortalium portus;
inquem, placidâ ex roseis Christi vulneribus malatiâ inuectus;
extra Vndas quidem sæculi; non tamen nostras extra lachrimas stetit.

irritamentum ijs perpetuum.

ineuitabilis tanti Viri cogitatio;
quæ cum in mentem, desideria nostra excrucians, venerit;
tum demum in vmbra sepulchrali ostendet; quantum lucis in eo deceserit.
magnos quippè Viros, serò requirimus;
quorum ab excessu, veneratio maior;
ætatis præteritæ suspiria fatigat;

cum iam inspirare non licet.

respiciet ad monumentum hoc ætas illa; cui vixerat in exemplũ;
nec aliud felicitati suæ præcabitur; quam vt pares habeat.

Nobis certè.

felicitatem hanc aliquando possedisse mensura ciuscunq; solatij;
amississe, dolor sine mensura est;
cui, quod lachrymis impendimus, minimum;

Summum illud,

iusta virtutis & meritorum æstimatione, hoc agere;
vt cum ad similia, magni animi incaluerint;
posthumæ gloriæ partu, nulla non ætas videat nasci,

rei literariæ.

VIROS SVMMOS.